



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. VII. Præmittuntur quædam de voto paupertatis Religiosæ pro decisione, qualis licentia necessaria pro honestis, & validis Religiosorum operationibus, & de multiplici voluntarij acceptione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

conformior, & optimè conciliat jura, quæ videntur invicem pugnare. Hinc matrimonium in initum contra Ecclesiæ interdictionem, aut post votum simplex castitatis, aut post sponsalia non dissoluta cum alia, Ordinatio Clerici ab Episcopo alieno, &c. valet, licet prohibeatur, quia consuetudo ita obinet (unde ut votum simplex Castitatis Scholasticorum Societatis dirimeret matrimonium, opus erat novâ Pontificiâ declaratione) hæc seclusâ tenet pro regula ratio generalis data pro omnibus à Gregor. Magno *Cap. imperiali causa 25. q. 2. quia inquit, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia sed etiam pro infectis habenda sunt.*

Confirmatur tanta solum potestas disponendi data est à sede Apostolica Scholasticis Societatis, quanta est neces-

saria fini à Societate intento, & vicijus minime discrepet, quantum fieri potest votum paupertatis Religiosæ in Societate à voto paupertatis Cæterorum Ordinum: sed potestas disponendi valide restricta ad consensum Superiorum facit votum paupertatis Religiosæ Societatis, quantum fieri potest, minimè discrepare à voto cæterorum Ordinum, estque fini à Societate intento necessaria, finis enim intentus à Societate in retinendo Scholasticorum ad tempus dominio est, ut Societas possit facilius dimittere justa ex causa, quem finem maximè promoveret facultas disponendi validè restricta ad Superioris consensum: impedit verò facultas huic opposita: quia si possent se privare dominio invitâ Societate dimissio redderetur difficilior.



§. VII.

*Præmittuntur quædam de voto paupertatis Religiosæ pro decisione, qualis Licentia necessaria pro honestis, ac validis Religiosorum operationibus & de multiplici voluntarij acceptione.*

43. **N**Ota primò quod Religiosus per votum paupertatis duo promittat, primò quod se exuat omni directi & utilis dominij jure, reddatque se incapacem talium jurium. Secundò non uti rebus temporalibus ad commodum nostrum, nisi instar pauperum, ac ex Licentia Superioris, quia est contra statum

pauperem, quem proficitur Lugo *Disput. 2. n. 32.* Unde inquit Gormaz hæc *Disput. 7. n. 392.* vitalis voti manet graviter prohibita Religioso ex fine paupertatis actio sua propria (quæ ex sua auctoritate seu absque consensu Superioris sibi assumat in propriam utilitatem usum rerum) Continetque malitiam gravem vitium.



tiūmque proprietatis contra paupertatem et si usus fiat consentiente rei Domino : consensus enim Domini impedit solum, ne usus sit contra iustitiam, secūs ne sit contra votum paupertatis secluso consensu Superioris, sicut comestio physicè considerata non est per se contra Religionem, at prohibita intuitu Religionis ante summptionem Evcharistiæ evadit peccatum irreligionis, ac sacrilegij, ergo etiam simplex usus facti, seu rerum prohibitus Religioso ex fine, ne sit proprietarius ( id est ne utatur *re tanquam propria*, ut loquitur Gregorius 13. si contingat citra Licentiam Superioris est proprietatis species contra votum paupertatis.

Est ergo generalis regula ex jure canonico, & sanctis Patribus deducta apud Suarez *tom 3. de Religione lib. 8. de paupertate. c. 11. & 15.* Quod datio, aut usus Religiosi habeat vitium proprietatis contra votum ex genere suo mortale, nisi levitas materiæ excuset, quoties sit sine Licentia Superioris. Quare *cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum*, subjungitur: *unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel priori assignetur.* Et *cap. non dicatū 11. c. 12. q. 1.* ex sancti Augustini Regula desumpto: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris Licentia.* Consonat Trident. *Sess. 25. c. 2. de Regulariis.*

44. Nota secundò voluntarium esse habituale, virtuale, morale, & præsumptum; habituale est volitio præterita nondum revocata: virtuale est volitio præterita perseverans ratione continuationis in suis effectibus; morale ut ab utro-

que contradistinctum, situm est in præcedentis voluntarij formalis, aut actualis effectu inafferibili, donec tollatur aut dissolvatur per dispensationem aut condonationem: hoc modo peccatum præteritum perseverat in jure ex peccato à DEO acquisito contra peccatorem (jus hoc est effectus peccati) indissolubilitas vinculi est effectus contractus matrimonialis, hic enim in illo durat, donec dissolvatur matrimonium ratum per Professionem aut dispensationem, &c.

Expressum voluntarium est actuale signo externo proditum, ut si petenti facultatem audiendi Confessiones Episcopus dicat, volo, ut audias, vel capite annuat, vel det scripto.

Præsumptum, prout contraponitur expresso, erit, si Episcopus intellectu tuâ petitione audiendi confessiones nullum det externum signum manifestans consensum, adfit tamen prudens præsumptio actualis interni consensūs, ut si Episcopus videns te accedere ad Confessionem audiendam te non repellat, cum posset, sed tacet, præsumitur actualiter consentire: hic consensus actualis prout contraponitur expresso vocari etiam solet tacitus seu implicitus, ab alijs verò voluntarium præsumptum actuale absolutum.

Hinc si in aliquo Ordine vigeat consuetudo à Prælato scita nec reprobata, dum facile posset tolli, quædam munuscula accipiendi, aut, dandi invicem, aut etiam externis, censetur actu consentire, seu Licentiam dare, valet proinde tunc in similibus casibus Regula 43. *in 6. qui tacet consentire videtur.*

Præter voluntarium præsumptum actuale absolutum datur conditionatum, quale tunc intervenit, quando non præsumi-



fumitur consensus actualis, seu actu existens, sed existeret: hujus usus est frequens in materia de legibus, sæpe enim præsumitur legislatorem habiturum consensum pro hoc, aut illo casu, si prævidisset circumstantias has, aut illas: item sæpe Superior concederet nun Licentiam si hæc in istis circumstantiis peteretur, quod cum verificari possit etiam dormiente, aut mortuo superiore patet actionem dependentem à tali præsumpta Superioris voluntate factam non esse Superiori absolute voluntariam positive, ut notavit Suarez *Prima secunda Disput. 1. Sect. 4. sed negative*, id est talis quæ prudenter nequit esse positive involuntaria, si eas circumstantias actu sciret Superior, idcirco hic pro tunc non est rationabiliter quoad substantiam actionis invitus.

Porro hic distinguendæ sunt duplicis generis actiones, quædam sunt, quarum licitas, & valor dependet ab actuali jurisdictione, ut audire Confessiones, assistere matrimonio, &c. unde carens eâ non potest licite, nec valide similia exercere dependeretur à voluntate præsumpta conditionata Episcopi aut Parochi, &c. Seu quod concederet eam, si peteretur, per hoc enim eam non actu confert, sed conferret: nihilominus quandoque adesse censetur absolutus actualis consensus conferens jurisdictionem necessariam, ut valeant actus: hic est communis sententia quod Ecclesia suppleat defectum jurisdic-

tionis, si re ipsa hæc Minister Sacramenti caret, quoties probabilis est opinio, quod eam habeat pro hoc, aut eo casu.

Aliæ actiones sunt, quæ malæ sunt præcisè, quia rationabiliter prohibita, unde si adsint nunc tales circumstantiæ, in quibus prudenter non possunt prohiberi, cessant esse malæ ex præsumpto voluntario conditionato, eo quod videatur sufficere ad earum licitatem legislatorem non esse positive invitum.

Ex hoc principio Lugo *hic Disp. 27. n. 53.* colligit plures pœnitentes excusari à restitutione, nempe prudenter credentes, quod si per se, vel per alios manifestarent debitum Domino, hic condonaret: postea extendit cum Sanch. *lib. 7. moral. c. 19.* Navarro, Rebello, Lessio rem alienam usurpantes in scio Domino non committere furtum, nec graviter peccare, etsi sit invitus Dominus quoad modum, dumodo non sit invitus quoad substantiam prout non est, quando Dominus rem talem dedisset, si accipiens petiisset, quia autem non dedisset, si tu accipis ad vendendum, ideo limitant asserunt ut procedat in rebus ex tali præsumpta voluntate acceptio ad proprium usum E. g. ad comedendum: hanc præsumptam conditionatam voluntatem Lugo & alij vocant etiam interpretativam sic dictam, quod quis interpretetur facile consensusurum Dominum si res ab illo peteretur.

